

rectus (Mo.). — 3) Iudice Mommseno gloriatur Popillius quod in servos fugitivos non animadverterit, sed restituerit eos dominis Italiciis. — 4) Pertinent haec ad Ti. Gracchi legem agrariam, latam anno ante quam Popillius consul fuit.

---

### Termini Gracchani.

**24** C. S[e]mpronius Ti. f. Grac., | Ap. Claudius C. f. Polc., | P. Licinius P. f. Cras. | IIIvir. a. i. a.<sup>1</sup>

*Columna rep. supra Capuam ad S. Angeli q. d. in Formis (I 552, X 3861; Ritschl tab., enarr. p. 49. 94). In vertice columnae legitur k. XI. d. I, i. e. kardo undecimus, decumanus primus. Similes columnas, sed minus plene lectas, habes I 553. 1504 = X 289. 3700. — Terminos hos positos esse post mortem Ti. Gracchi (a. 621 fin.), qui se ipsum et C. Gracchum fratrem et Ap. Claudium sacerum triumviro agris dividendis creaverat, suffecto in eius locum P. Licinio Crasso, exposuit Mo. C. I p. 457. — 1) tres viri agris iudicandis adsignandis (vel: attribuendis, cf. infra N. 48).*

---

**25** M. Folvius M. f. Flac., | C. Sempronius Ti. f. Grac., | C. Paperius C. f. Carbo | IIIvire a. i. a.

*Columnae duae parvae rep. in agro Hirpinorum inter Aeclanum et Compsam prope vicum Rocca San Felice (I 554. 555. IX 1024. 1025; Ritschl tab. LVc d). In verticibus harum columnarum (nec non columnae tertiae, cuius reliqua inscriptio periit, I 556. IX 1026) inscriptae sunt litterae singulares nondum recte lectae vel explicatae. Columnas positas esse aut a. 624, quo, mortuis P. Licinio Crasso et Ap. Claudio suffectos esse M. Fulvium Flaccum consulem a. 629 et C. Papirium Carbonem consulem a. 634 statuendum est, aut a. 625, quo triumviris illis iudicatio de agris adempta est (Appian b. c. 1, 19) desieruntque appellari ab agris iudicandis, exposuit Mo. C. I p. 457.*

---

**26** M. Terentius M. f. | Varro Lucullus | pro pr. terminos | restituendos | ex s. c. coeravit | qua P. Licinius | Ap. Claudius | C. Gracchus IIIvir. | a. d. a. i.<sup>1</sup> statuerunt.

*Inter Pisaurum et Fanum rep. (I 583). — Titulum positum putat Borghenius opp. 7 p. 350. 351 a M. Terentio Varrone Lucullo inter praeturam (a. 678, cf. Ascon. p. 84 Or.) et consulatum (a. 681), scilicet cum propraetore Galliam Cisalpinam administraret, Mommsenus ab eodem anno 672 vel 673, cum Sulla pars secutus in illis regionibus exercitui praeesset. — 1) agris dandis adsignandis iudicandis.*

---

**27** M'. Aquillius M'. f. | cos. | CXXXI<sup>1</sup>. | [Márt]os [A]xíλλ[ι]os Ma-riov | ὑπατος Ρωμαίων | φλα<sup>1</sup>.

*Lapis milliarius viae Epheso Pergamum ducentis, rep. non longe a Pergamo (III suppl. 7183). Similes lapides et in aliis viae Asiae prodierunt (III 479. 7177. 7184. 7203). — 1) Numerus millium passuum, quot hic lapis aberat ab Epheso capite provinciae Asiae. — M'. Aquillium cos. a. 625 Asiam Romanorum factam testamento Attali ordinavisse tradit Strabo 14 p. 646. Viarum quoque provinciae curam eum habuisse hi lapides docent.*

---